

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

X. Qualiter se homo habere debeat in agendis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

Dei id facio, æquali merito et præmio exultabo ; cum vero peccando delinquo, in hac via non consisto.

X. QUALITER SE HOMO HABERE DEBEAT IN AGENDIS.

VI. 12.

CUM oras, humiliare ; cum confiteris, veritatem loquere ; cum satisfacis, diligens esto ; cum manducas, sobrius sis et frugalis ; cum dormis, disciplinatus sis ; cum solus fueris, esto fidelis ; cum cum aliis fueris, prudentiam serva ; cum de bonis moribus instrueris, consentiens esto et obedi ; cum de pravitate reprehenderis, patientiam exhibe, et desiste ; cum feceris quod justum et bonum est, inutilem te reputa ; cum a recto deviaveris, veniam pete ; cum levis et dissolutus fueris, time ; cum turbaris, spem in Deo pone ; cum laboras manibus, festina, ut cogitationes inutiles valeas evitare.

DE IMPEDIMENTIS RELIGIONIS.

V. 33.

PERFECTIONEM Religiosorum valde diminuit incuria et aestimatio modica venialium peccatorum. Fateor quod cum vel levi risu aliis innocuo vel rancore cordis modico licet occulto, aut proprii incommodi impatientia levi inficior, obtunditur mox mens mæ et obscuratur, et cor refrigescit, donec [in lacrymas et gemitus erumpam, et] exul et misera, amicibili prece et desiderio valido cum humilitate meum vitium recognoscam ; tunc recuperata gratia valeo, [tamquam canis e coquina fuste pulsus redire, et] *in pulvere Dei clementia respirare*. Cumque vitium incognitum et incorreatum affuerit, infernalem maculam in anima mea pingit ; [sic quid consilii capiam, non habeo ;] *ejusque auctor* in me imaginem dæmon, [qui ignem purgatorium curat, in quo peccata consumenda sunt,] respicit ; mihique horrorem ingerit, cum sola fuero, quia hujus expers miseriarum sum facta, [cum dona, quæ vocantur conscius amor, recipierem.] Moxigitur ad pedes ejus procido, et ante cum medullitus ploro dicens :

Miserere mei Deus, [vel Pater noster], sicque mundata ad paradiseum quietis redeo, unde ejecta fueram maculata cœno.

XI. DE CARNALI SAPIENTIA RELIGIOSORUM.

ATE, Domine Jesu, quærere compellor, in quo quorum-dam cæcitatem detestabilem recognosco, cur spiritales homines internæ devotionis gratiam reformident; cum superna dignatio humanæ animæ illucens frigidum aliquantulum accenderit ut ardeat, cœpitque liquefieri, ad lacrymas effluere; tunc cœlestem in terrestrem commutare vult, ut in eo veraciter ipse imitari, diligi valeat et agnosci. Humanus ad hæc sensus dicit: [Non!] ego in exterioribus utilis esse possum. Maximeque monastici, quanto prudentiores sunt, talia dicere consueverunt. Ad hæc respondit Dominus: Divinitas mea ad terram venit, ubi mea humanitas laborat. Divinitas crucem ascendit, humanitas mortem pertulit. Divinitas infernum confregit, et a morte cum corpore resurgens in cœlum concendit. Omnes qui me repellunt a se, repellentur et ipsi a me. Sine me nihil homo potest facere, [nisi peccatum]; nam et humanitas mea nihil unquam perfecit nisi quod mea divinitas præordinavit. — Ecce, Domine, ipsi dicunt sapientiam esse parcere corpori, eo quod Spiritus tuus bonus et suavis a te procedens, animamque sua dulcedine penetrans, corpori vires auferat, et infœcundum ad opera bona reddat.

VI. 13.

DE USU GRATIÆ.

HEC dicit Dominus: Cibus regius removeri perfunctione non debet, quousque [terrena] necessitas hinc sit sumpta. Donum meum speciale dignitatem corporis et animæ confert homini singularem; dat insipienti doctrinam, solatium sapienti, laudem et gloriam indeficienti profluvio tribuit, de quo prodiit, cum fructuose revertitur ad me a quo fluxit. Gratia quæ a Deo potenter repente infunditur, tantæ in se virtutis ac nobilitatis est, a tam ineffabili Dei procedens amicitia, quod non mediocriter